



Samelbd.

0/0

die,

65  
DE  
EDVCATIONE AESTHETICA  
PROLVSIO

QVA  
AD TRES DECLAMATIONES  
DIE INSTAVRATIONIS RELIGIONIS MEMO-  
RIAE SACRO

BENIVOLE AVDIENDAS  
HVMANISSIME INVITAT  
CAROLVS HENRICVS SINTENIS  
AA. LL. M. LYCEI TORGAVIENS. RECTOR.



---

LIPSIÆ,  
EX OFFICINA IACOBÆRIA.  
MDCCLXXIX.


DE  
EDUCATIONE AESTHETICA  
TRIVRSIO

AD TRRS DEAMATIONNS  
DIE INSTANTONS TRIVRSIONNS TRIVRSIO  
RHSB SACCO

TRIVRSIO AESTHETICA  
HUMANISSIME TRIVRSIO  
CAROLVS TRIVRSIO TRIVRSIO  
AA LL M TRIVRSIO TRIVRSIO TRIVRSIO

TRIVRSIO  
TRIVRSIO TRIVRSIO TRIVRSIO  
TRIVRSIO TRIVRSIO TRIVRSIO





**A** RISTIPPVS, sectae Cyrenaeae auctor, interrogatus, quae-  
nom iuvenes oporteat discere? ea, inquit, quae viris vsui futu-  
ra sunt. Extra omnem dubitationem positum est, quin hic  
Philosophus alicuius, quia alioquin tam amplius huius consilii ambitus  
esset, vt nimis late pateret, hac responsione longe sapientissima ratio-  
nem habuerit vitae futurae generis, quod vnusquisque, pro studio at-  
que impetu, a prouida Summi Numinis cura ipsi insito atque innato,  
sibi elegerit. Tanta enim reperitur rerum discendarum, earumque  
vel utilissimarum, varietas atque copia, vt illis omnibus omnino perci-  
piendis nequaquam sit integra, quamuis longissima, vita hominis,  
quid? quod, incrementa, quae liberalissima quaeque ars ac scientia ce-  
pit, tam praestantia, et mque luculenta sunt, vt in illa addiscenda, qui  
ad excellentiorem, quam medioerem, intelligentiam adspiret, de ni-  
miis vitae angustiis conqueratur. ARISTIPPVS igitur, nisi his fini-  
bus includenda sit eius sententia, vt ea sola a iuvene tenenda spectet,  
quae futurae viuendi conditioni inferuiant, aut ingentem rerum cogno-  
scendarum, earumque aetati virili utilissimarum, ignorarit multitudi-  
nem, aut ad iuuentutis, immo totius vitae curriculi, breuitatem nimis  
parum respexerit. His vero terminis constitutis, ad ipsam huius pro-  
nunciati vim atque indolem animum si intendimus, negari non potest,  
ad fructum vberissimum esse consilium, quod hic antiquitatis doctor de-  
derit

derit. Omnes artes, quaecunque tam *propius*, quam *remotius*, cum futura viuendi ratione videantur coniunctae, nulla illarum postposita, tantae censet necessitatis, vt pari industria illarum omnium notitiam comparandam vniciuique iuueni commendet, qui procurandae salutis suae, prudentiae conuenienter, consulere constituerit. Literae, atque artes, ad humanitatem pertinentes, vt PLATO, et cum illo CICERO noster iudicauit, cognatione quadam inter se continentur, arctissimoque vinculo cum ipsa futurae vitae sorte constringuntur, vt aliae illarum ad comparandas vitae necessitates (multi per *Hebraisum* sic loquuntur: *ad comparandam panis lucrandi scientiam*) per se requirantur, aliae aditum ad hanc primariam cognitionem parent, aut eius ornamenta atque suauitates afferant. Inter omnes igitur non alia intercedit differentia, nisi haec, vt nonnullarum institutione animi iuueniles prius sint imbuendi, quam ad reliquas, earumque familiaritatem adducantur, nonnullae vero tunc temporis demum tractari possint, cum primae disciplinae fundamenta accurate et studiose fuerint posita, omnes mirum quendam consensum, communionemque tantam habeant, vt nemo, nisi cuius ingenium doctrinaque istam liberaliorum atque ingenuarum artium societatem, qua copulantur, comprehendērit, ad altiozem eruditionis gradum ascendere atque euehi possit. Quae cum ita sint, quid est, quod iuuentutis, scholarumque salutis amantissimus maiori sapientia, maiorique vtilitatis fiducia suadere possit pueris atque iuuenibus nostris, quam quod ARISTIPPVS, sagacissimus sane HAC IN RE fidelissimusque aetati iuuenili auctor sualorque, ad firmandam stabiliendamque veram felicitatem, cuius fons *ex iuuentute, sapienter reela et instituta*, dimanat, non tam commendauit, quam iniunxit? Nos, qui hunc Philosophum *profunda*, vt loquimur, intelligentia vel longissimo post nos relinquimus intervallo, quorumque aetas tantae sapientiae radiis collustrata exsplendescit, vt in pretio rebus, ad vtilitatem, tam publicam, quam priuatam, pertinentibus, statuendo multo peritiores acutioresque censeri mereamur, nos igitur non solum in eo longe multumque recedimus ab hoc exsequendo consilio, vt *nimis angustis limitibus illud contineamus*, sed etiam, ratione habita *disciplinae*, qua aetas huius Philosophi in formandis poliendisque iuuenibus vsa est, nonnulli inueniuntur, qui nobis magistris maxime diuersam ab illa subministrare conati sunt. *Ea, quae*  
*viris*

*viris vsui futura sunt, haec verba plurimi nostrum tam peruersa, tamque infelici ratione interpretantur, ut, quia vim atque potestatem illorum inconsulte infringunt, parum sibi prospiciant, sapientioribusque probentur. Quis enim omnium rerum ita ignarus est, aut, cuius aures in peruulgato fere atque populari sermone ita peregrinantur, quin saepe ex iuuenibus audierit: quid mea refert, cognitioni huius linguae, aut doctrinae acquirendae operam dare? ego non video, quid profit arti, cui vitam futuram consecraui, quidque conducat ad studium, quo colendo alimentis futuris, vitaeque sustentandae inseruiem? scholasticis potius nugis atque difficultatibus est annumeranda, ego vel stupidissimis haud dissimilis mihi viderer, si vnus usuram horae isti arti percipiendae darem! neque ille, qui muneris huius sacri redivitis optima valitudine fruitur, neque hic, qui bonos rusticos, ope laudati vsus forensis, (barbare, laudatae praeceor,) nummis emungere, praeclare didicit, vel primis labiis degustauit hanc scientiam, multo igitur maiori commoditate, maioriq; otio, quam praeceptor difficilis atque morosus iubet, curriculum scholasticum absoluat.*

Quodsi ex animo illorum commiseratione dignissimorum iuuenum nimis vilem hanc et ieiunam opinionem de pretio disciplinarum scholasticarum euellere constituissem, quod forte optandum magis, quam sperandum est, paullo luculentius exponerem de euentibus istiusmodi propofiti, quod *bonae et tranquillae conscientiae aduersatur, et amantissimarum literarum interitu purioris religionis atque reipublicae secum trahit ruinam.* Consilium potius, quod in praesentia cepi, ceroitur in eo, ut *Leſtorum Humanissimorum* animos intendere *disciplinae euidam*, quae non minus remota et abalienata est ab illa, quae *ARISTIPPI* temporibus in scholis obtinuit, quam nos in ponderandis artibus et doctrinis, virilis aetatis muneri consententibus, ab auctoritate huius Philosophi recedimus. In *tabulario publico Educationis vsu probatae*, siue, im *Archiv der practischen Erziehung*, *EDUCATIO*, quae dicitur, *AESTHETICA*, nobis omnibus, qui occupati sumus in palaestra, praedicando tantopere celebratur, ut fidelissimo cuique nostrum examinandum iudicandumque relinquatur, quae iuuenum, in ludis publicis fingendorum, ratio reliquarum omnium, tam inueterato vsu receptorum, quam recens inuentarum, existimari mereatur longe praestantissima? mihi saltem persuasissimum est, illam non

minora incommoda atque pericula scholis afferre, EDUCATIONE CAVENTE, quod iam copiosius probare, mihi animus est.

Qui in cognoscendis, et pro vero pretio aestimandis venerandae antiquitatis monumentis versati sunt, illorum nemo est, quin liberalissime fateatur, eam puerorum atque iuuenum instituendorum rationem, quae nominetur EDUCATIO AESTHETICA, illius esse naturae atque indolis, ut perparum similitudinis habeat cum ea, quae prae seis temporibus apud multo sapientiores maiores in usu fuisse constat, utque *haec in causa* sententiam PLATONIS sequi possimus, dicentis, *τιμιώτατον τὸ πρεσβύτατον*. Etsi enim ego non sum is, qui communi ingenii humani consuetudine, siue peruersitate, abreptus antiqua semper laudando, iniuriam faciat recentioribus, et, quo altius illa efferat, eo magis fere deprimere haec soleat, tamen inducere animum non possum, ut negem, superiorum temporum conditionem eo nomine fuisse multo feliciterem, quod grauior, ipsique bonarum literarum dignitati conuenientior praedicari mereatur scholarum disciplina, quam, quae nostra aetate a multis, qui de emendandis, in melioremque statum redigendis ludis nostris, scripta in publicum effundunt et protrudunt, hinc inde commendetur, inuidendisque laudibus extollatur. Non opus est, ut pristinorum temporum memoriam, quoad longissime mens nostra ad illa possit respicere, maxima animi intentione repetamus, sed nonnullorum tantum saeculorum mediocre, et fere remissum recordationis studium sufficit, ad comprehendendum, quam *temporaliuitatem* CICERO in *Catone* unicuique singulorum hominum aetati tribuat, eandem certo cuidam plurium annorum complexui semper esse concedendam, ita quidem, ut non solae res, quae in sensibus cadant, quaeque ex arbitratu atque iudicio hominum de elegante et venusto pendeant, sed etiam studia atque artes, quae multo praestantioris, multoque liberalioris sint indolis, mutationi sint obnoxiae, ut olium quae fuerint magni, immo maximi aestimatae, nunc, omni iucunditate exuta et deposita, tantopere vilescant, ut omnis, qui delicate aetati omnia dare, seque illi quam accuratissime accommodare, solo in honore positum putet, illas, veluti inutiles, quarum ipsum pudeat, abicere, et ne flocci quidem habere, hominis et elegantioris, et sapientioris, censeat. Nostra aetate viget et floret AESTHETI-

CAE,



CAE, quae vocatur, studium, et proventus eiusmodi hominum, qui huius scientiae cognitionem profiteantur, iam tantus, tamque copiosus est, vt non solum verendum sit, ne ea scriptorum graecorum et romanorum explicandorum ratio, quam huc vsque, a *Summis Viris* commendatam, secuti sumus, sensim paulatimque e scholis propellatur et proscribatur, sed etiam, vt vel in multis (*pro eo, quod narrando comperi*) suggestibus sacris miserabilium anicularum aures AESTHETICE perfricentur, earumque animulae, strepitu machinae, cuius rotulam inter nendum pede vertere solent, obtusae, fulgore atque tonitru AESTHETICO excitentur, et quasi in vitam reuocentur. Vim mihi affers, qua inhumanitatis culpam tibi contrahis, si persuasum habes, me, ad omnem venustatis sensum rudem atque obduratum, odioque huius scientiae inflammatum, talia essutire, vt huius doctrinae, quasi veri ingeniorum pastus, atque nutrimenti, nauseam aliis iniiciam. Tu certe, qui omnia diuinae tuae scientiae, quam *Aspasiam* tuam nomenes, praecepta pleno ore (*plenis faucibus* dicerem, nisi AESTHETICAE repugnaret,) imbibisse te somnias, tu igitur credas, quaeso, neque me ipsum expertem esse atque agressem in sentienda *Gratiarum* in poetarum cantibus suauitate, neque alumnorum, disciplinae meae traditorum, animos callo quodam a me obduci, vt stupidi, vasti, et luscii permaneant. Nihil mihi ipsi suauius, nihil ad animum meum capiendum aptius reperitur, intelligentia loci cuiusdam, qui naturae pulchritudinem non adumbravit modo, sed expressit, quique ad oblectandum lectoris animum tot condimentis est inuolutus, vt non sine maxima violentia ab illo auocari, quid? quod, retrahi atque cohiberi possit, et, quoties in eiusmodi pensum interpretandum incido, non prius acquiesco, quam, *exegetica et critica* eius explicatione praemunita, iuuenum meorum *aures* atque *mentem* illi cum sensu audiendo ad-sueseci, omnesque ingenii vires ad id intentas dirigo, quo illorum animos feriam, et augendo amplificandoque percutiam. Quae omnia non eo consilio in praesentia dixi, vt *gloriolae consequendae studebrem*, id quod non solum turgidi, et paedagogico fastu inflati, non mei, animi esset, sed etiam risui captando inseruiret, quia ego non is solus sum, qui hanc disciplinam obseruet, atque teneat, omnes omnino scholarum magistri, gustus non expertes, *ne uno quidem excepto*, eandem callent, et probe sciunt, ordinis, ornatus, et pulchritudinis sui

fui obruto et extincto, totius vitae omnibus in rebus deformitatem, aberrantem a naturae dignitate, et *solidam* quandam, siue *plumbeam* eruditionem esse adscribendam. Hoc potius spectavi, ne quis crederet, me odio atque averfatione incensum, aut calumniandi rabie incitatum, calanum fumissile, ut arti cuidam, cui permulti nostra aetate, eiusmodi deliciis accommodatissima, se dant, aliquid detraherem, et hoc unum est, quod optem, ut, missis illis (ne falcem in alienam messem immittam,) concionatoribus, qui subtilitatibus AESTHETICIS magni philosophi gloriam cupidissime sectantes, maximam gregis, ipsorum fidei commissi, partem praeter religionem negligunt, ut igitur omnes, qui scriptoris cuiusdam, maxime poetae antiquioris, edendi consilium ineant, permoueri se patiantur, ne tam horrenda rerum, ex AESTHETICA emanantium, eluione nos inundent, pretiumque librorum iniquo modo augeant. Quicquid ex hoc fonte vel ab *illustri viro* ad VIRGILIVM enucleandum deriuetur, mihi satisfacit DE LA CERDA, quicquid BRIEGLEBYVS ad HORATIVM exponendum hauriat ex iisdem riualis, mihi placet GESNERVS, et in multis BENTLEYVS, et, qui in vniuersum a CORTII, PERIZONII, et ERNESTI, quos felicissimos in commentando puto, ratione atque via recedit, eum, *quantum quantum*, verae Humanitati perparum consulere cenfeo. Meum quidem saepe animum idem votum subiit, quod fecit GROTIUS, ut cum PAVLLO aedem ingredi posset, atque oratorem sacrum, huius epistolas interpretantem, audire, qui sine dubitatione prae risu sit emoriturus, auribus percipiens, quae cogitarit nunquam. O si VIRGILIUS reuiuisceret, miraretur, verba sua adeo contorqueri, ut iocatus magis, quam seria cecinisse videatur! Quae tamen cum ita sint, ut AESTHETICAE regnum quotidie fere latius propagetur, itaque soli veterum editores dignissimi et acutissimi nominentur, qui solis, iisque vel affictis vnicuique illorum scriptorum, venustatibus, *sententiosos scarras* (quod deinde pluribus confirmabo,) formant, quorum capita fere rumpunt prae nimia SAPIENTIAE AESTHETICAE abundantia, quorumque nares tam emunctae, et nerui atque fibrae tam tenerae sunt, ut permulta odorentur, ubi innumeri alii nihil omnino odoratu, percipiunt, et animi commotione percutiantur, exsultent, aut contremiscant, ubi omnes alii, ne dicam, oscitant, aut frigent, ne minimum quidem commoti, sed tranquillii videntur, quae,

quae, inquam, cum ita sint, quid inde consecutum est? quid recentiores scholarum publicarum emendatores inuenerunt, quod nobis bonis magistris, quasi ex reconditae sapientiae fontibus deductum, de nouo commendarent? scholis important AESTHETICAM, ita, vt nobis praeceptoribus suadere cupiant, EDUCATIONEM, ad normam huius adamandae scientiae institutam, iuuentuti scholasticae esse longe saluberrimam, et optimum quemque magistrum, qui omnes ingenii doctrinaeque vires, omnemque integritatem atque fidem ad id conferat, quo muneris, sibi demandati, grauitati respondeat, nihil prius nihil antiquius habere debere, quam, vt omnem disciplinam ad huius EDUCATIONIS indolem componat.

Ipsius artis, quae huic institutionis scholasticae rationi nomen dedit mutuum, cognitio tam communis, tamque grata et accepta est, vt neminem fere reperiri putem, quem fugiat, in quo versetur haec EDUCATIO, vtque, indicata eius origine, superfluum et inane quid suscipere mihi videar, eius descriptioni copiosiori vberiorique si nunc operam dem. Sed, ne quis *Lectorum Humanissimorum*, contagione hac nondum infectus, et multo sanioribus rei scholasticae principiis adhaerens, de obscuritate quadam conqueratur, orta exinde, quod, praetermissa huius EDUCATIONIS notione, nimiae negligentiae suspicionem conlaxasset, hinc quodammodo necessarium existimo, vt nunc conlituam, paucis tamen, in quo cernatur EDUCATIO, quae nominetur AESTHETICA. Quoniam ipsa doctrina, AESTHETICAE nomine insignita, (quam BAYMGARTENIVS, philosophus, initio disciplinae huius *theoriam liberalium artium, gnosceologiam inferiorem, artem pulchre cogitandi, artem analogi rationis*, nominat, ac per *scientiam cognitionis sensitiuae* definit,) regulis continetur, quae in inuestigandis venustatibus sint obseruandae, quaeque ad explendos admiratione atque delectatione quadam animos omnium, quos non vel a natura insitus, vel a rerum humilium sordidarumque amore offusus stupor, ad pulchritudinis sensum hebetauit atque indurauit, pertineant, quid? quod, quarum ope ordinis, dignitatis, venustatis, leporis, atque suauitatis praeslantia in tanta luce, tantoque splendore collocata, *sensibus exponatur*, vt, nisi in languentes et dormientes incidere, omnium omnino animi, diuinitus quasi concitato motu atque affectu, agentur

tentur atque inflammentur, et, quoniam huius ipsius doctrinae, *si modum in accommodandis regulis eius tenueris*, tam admiranda est utilitas vt ad augendam perspicuitatem, et ad permouendos tironum animos, nulla alia doctrina reperiri possit, quae, illa, sit efficacior, hinc prauo vsu ad *artem educandi* nonnulli illam sic transfulerunt, vt singularem EDUCATIONIS formam, quam AESTHETICAM vocent, nobis suadeant, cuius vis atque potestas posita sit in eo, vt IN INSTITVENDO, OMNIA EA QVQVE, QVAE SOLA MENTE SINT PERCIPIENDA, SINE OMNI DISCRIMINE, AD SENSVS REVOCENTVR. Notione hac formata, pauca ad vberiore[m] eius explanationem attulisse, non poenitebit. Sermo non est de artibus, quae ad corporis robur confirmandum, aut ad eius agilitatem gratiamque excitandam, conducant, haec enim per se sunt eiusmodi, vt non, nisi sensuum adminiculo, facultas illarum sit acquirenda, sed verba in praesenti facimus de iis rebus, quae, *in fingendo animo*, soli menti sunt obnoxiae, siue, quae tam absconditae sunt indolis, vt solo iudicii acumine examinari atque intelligi possint. Iis in tractandis omnes scholarum magistri hoc vsque hac disciplina, et quidem non sine prospero successu vsi sunt, vt, quantum fieri posset, ad mentis discipulorum imbecillitatem descenderent, omniaque maxima patientia, humanitate, atque in perferendis laboribus constantia, sexcentis mutatis atque inuersis quaestiunculis, ad captum puerorum exigerent, semper intenti, quo mentis, tanquam praecipuae hominis dotis, vires inualescentes subleuant. Sed nunc illi, qui, si Deo placet, aegris, quae putantur, scholarum membris sanitatem, et nouam quasi vitam, speciose, sed VANE, pollicentur, longe meliorem, breuioremque institutionis viam indicare se gloriantur. Omnia, quae *solius rationis* viribus nituntur, quaeque a sensibus externis per se sunt remota, sine omni differentia, AD SENSVS REVOCANT, h. e. aut imaginibus, et tabulis expressa, liberorum ad spectui proponunt, aut in lusus formam redigunt, aut in explicando statim, *nulla interpretatione exquisitori prius adhibita*, cum rebus, solis sensibus fultis, comparant. Inde ortae sunt *plagulae*, siue *chartulae* istae, quam nitidissime pictae, quarum vsu liberi *formas literarum* memoriae imprimant, inde *arculae* istae, quae singulis literis, in *syllabas*, totasque voces cogendis, inseruiant, inde *machinulae* istae, ad *legendi* facultatem conciliandam excogitatae, in

de ipsorum librorum diuinorum *historiae*, atque *doctrinae*, picturis expressae, et quae sunt aliae multo felicioris, siue potius ad communitatem atque mollitiem procliuioris, aetatis nostrae inuentiones, quarum omnium inuidentiam apud maiores, in vitam si redirent, nobis nequaquam contraheremus. In interpretandis vero scriptoribus, tam graecae, quam romanae, antiquitatis, nobis persuasum cupiunt, huius EDUCATIONIS AESTHETICAE auctores, illam disciplinam, quae in iudicanda linguae *elegantia* atque *urbanitate* iuuenum animos contineat, tanquam nimis ieiunam, exsanguem, atque sterilem, esse deridendam, eamque, cum nimis difficiles, morosos, et umbraticos in captandis rebus minutis, obtusos vero, hebetes, agrestes, vastos, furdos, atque luscios in sentiendis suauitatibus, fingat, quasi mercem obsoletam, cum illa esse commutandam, quae in iuuenum animos sensum terrerrimum, *eumque solum*, transfundat, quaeque nihil aliud curet, nisi, ut singularum cogitationum, integrarum descriptionum, atque fictionum iucunditas, venustas inimo dulcedo, tam prope discen- tibus admoueat, ut ad illorum animos permanet, in illis aculeos relinquat, et mira efficiat, quae tali passu nutriti succedente tempore literis atque monumentis, h. e. *ingeniosis Musarum factis, fabulosis historiis, carminibus Anacreontis, ludis scenicis*, et innumeris aliis artificii, in omnium admirationem atque stuporem prodant. Illudunt nobis dicentibus: *hic est barbarismus*, hic *soloeccismus*, risum naso adunco mouent, si *proprietaem* tam *grammaticam*, quam maxime *oratoriam*, uirgemus, aut res, *ad antiquam scripturae rationem, ad ritus priscos, et errorem librarii* pertinentes, indicamus, ipsi vero, multo maiorem sapientiam prae se ferentes, nihil aliud in promptu habent, nisi haec: *O diuini quid! verba non suppetunt*, AVDITORES, quibus *mentem exprimam! totam scriptoris situationem*, (horrenda vox, quam isti barbari -- *fit venia dicto*, semper in ore habent! sed liceat ea uti, quia *mens*, siue *animus* non esset AESTHETICE pronunciatum!) *opus est, ut perpendamus! quot, quamque suauium adsunt incantamenta! utinam possim vos*, AVDITORES, *eodem spiritu afflare, quo impulsus poeta haec cecinit! sentiatis modo*, AVDITORES, *quae grauitas! quis inopinatus transitus! quae nouitas! quae naturalis simplicitas!* (wie naif!) *quis conuentus! contemplantini*, AVDITORES, *haec picturam, non uiuis quasi coloribus expressam putetis? quae lux! quae umbra!*

quae concinnitas! quae soni amoenitas! quam altis sensibus praeditum pectus! quam coelestis pectoris elati calor! quae suauitas! quae teneritas! SENTIENDA sunt omnia magis, quam EXPLICANDA! SENTIATIS igitur, AUDITORES, SENTIATIS, nescio, quorsum abripiar! — quid? tu nescis? ego scio, sed, quia cor non habes plumbum, sed AESTHETICVM, nihil attinet dicere, ego abreptus sum ad inanum delectamentorum satietatem!

Quo magis vero remotus et alienatus sum ab omni, quod liuoris atque difficultatis suspicionem contrahat, et quo liberalior sum in concedendo rei cuiuslibet, ad vtilitatem communem, maxime scholasticam, referendae pretio, vt nihil iniquius, nihil malignius ducam, quam quod impedimentum obiiciat iis, qui de emendandis vitiis, et in meliorem conditionem redigendis rebus, totius reipublicae salutem spectantibus, studiose et assidue laborent, eo minus promptus atque pronus sum, ad omnem omnino virtutem atque valorem huic EDUCATIONI, quae AESTHETICA dicitur, recusandum. Eius vis, in dispellendis et dissipandis primis, iisque densissimis, ingenii puerilis tenebris, certe tanta, tamque explorata est, vt, praeter illam, non reperiatur alia, ipsi puerulorum naturae atque indoli accommodatior, vtque, si ab illa initium institutionis feceris, nullo modo vituperari possis. Primae enim pueritiae nostrae temporum memoriam si repetimus, aut in puerulos, oculis nostris obuersantes, eorumque iudicia et actiones, si animum intentum habemus, fateamur, necesse est, rationis vsum tam parum proprium esse huius aetatis, vt pueri solis sensibus, eorumque impulsu, regi videantur. Imitantur eas adultioris aetatis hominum actiones, easque solas, quibus res conficiuntur, in sensus cadentes, et quidem ita, vt, quicquid interioris illis in imitandis sit subtilitatis, praeterrmittant, et externam modo, eamque crassam, similitudinem expriment, quaestiuiculae illorum, quibus permultum saepe suauitatis atque delectationis inest, quibusque irasci hominis impatientis, quid? quod, inhumani et crudelis est, tam curiosae quidem nonnunquam, vt illis soluendis vix pares simus, sed semper eiusmodi sunt, vt rerum, solis sensibus percipiendarum, intelligentiam secentur, illorum denique animos ea sola sibi alliciunt, quae nouitatis, externae pulchritudinis, atque splendoris gratiam habent, vtilissima vero, eiusmodi

modi ornatu atque elegantia destituta, illorum auersationem atque taedium sibi conciliant, vt his omnibus, et innumeris aliis, quibus, quia fatis trita sunt, recensendis, patientia *Lectoris* abutereimur, luculentissime appareat, puerulos *solis sensibus* parere, *rationisque* imperium in illorum animis tam angustis terminis esse inclusum, vt nutui eius parum obtemperare, et, praeter corporis formam, non adeo multum humanitatis prae se ferre, videantur. Quae cum ita se habeant, quid aetatis huius imbecillitati aptius, quid eius conformationi conuenientius, quid commodis eius salubrius inueniri potest, nisi hoc, vt, quo maturius rebus vtilioribus adsuefiant pueri, *sensuum* adminiculo fultus, illorum institutioni operam studiumque impendas? *A teneris adsuescere, multum est*, hinc, si tempora illa feliciora expectabis, quibus mens vires cogitando exserit, et omnia in illa transferes, tu iple culpam lues, quod puer, otio atque pigritiae deditus, disciplinae impatiens est factus, eiusque ingenium obduruit, vt nihil dicam de eo, quod non solum dedecoris sit, quae primae pueritiae fuissent tradenda, ea demum puerum, iam satis robustum et obesum, tractare, sed etiam magnae improbitatis, bonam aliquam temporis partem, *cuius Deo reddenda est ratio*, sine omni vsura, praeterire passum esse. Recte igitur suades nobis EDUCATIONEM AESTHETICAM, producas rara tua inuenta! periclitaris artificia tua! fac, vbi sunt *chartulae, arcuulae, et machinulae* tuae? sed hoc tibi dictum velim, vt mihi abeas *ad Gyaras* cum his crepundiis atque ineptiis tuis, simul atque in puerulo meo mentis scintillas animaduertero. Quamuis enim AESTHETICAE tuae EDUCATIONIS, in fingenda formandaque tenerrima pueri aetate, vtilitas tanta, tamque indubitata sit, vt, eius reprehensionem in vniuersum si studerem, partium studii atque inuidiae omnis mutationis maxime suspectum me redderem, tamen fidem mihi habeas, si dixero, ea illi non esse tribuenda, quae tibi ab illa speranda videantur, eamque perniciosissimam esse, illam si nimis diu retinueris. *Mentem hominis*, inquit CICERO, lib. II. de Nat. Deor. *rationem, consilium, prudentiam, qui non diuina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere* — quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio, et comprehensio est in nobis, ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur, idque ratione concludimus, singulasque res desinimus, circumscriptaeque loquimur, ex quo scientia in-

telligitur, quam vim habeat, qualis sit, QVA NE IN DEO QUIDEM EST RES VLLA PRAESTANTIOR. Eiusdem sententiae est SENECA epist. 76. dicens: *in homine optimum quid est? ratio. Hac antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cetera illi cum animalibus communia sunt. Ratio recta et consummata felicitatem hominis implevit.* Quid igitur necessaria conclusionem sequitur? hoc, ut non solum *rationis*, quae dotium hominis praecipua est, culturae atque emendationi *mature* operam dare debeamus, quod etiam ope sensuum ab EDUCATIONE AESTHETICA impetrari potest, sed etiam ut ipsa hominis institutio, *disciplinae*, huic *rationi consentaneae*, adminiculo sit instituenda. Neminem enim in concedendo tam difficilem futuram credo, quin mihi largiatur, quae prudentia in poliendis *singulis hominibus* adhibeatur, ut ad vniuscuiusque ingenii atque in iudicando acuminis mensuram semper respiciatur, utque tardis atque obtusis plura interpretationis et collustrationis subsidia, alacrioribus et sagacioribus pauciora praebantur, eandem etiam in erudiendis *omnibus omnino hominibus* esse consulendam, et quidem ita, ut illorum emendatio excellentissimae ipsorum doti atque facultati respondeat, qua non solum reliqua animalia, rationis expertia, quae ipsa etiam, *quamuis longe alio modo*, ad varia artificia aptiora reddi possunt, per multum superant, sed etiam proxime ad Deum similitudine accedunt. Quid? quod, si rem accuratius perpendo, haec institutionis cautio, quae *in vniuersum* hominis prae reliquis animantibus praestantiae consulit, multo magis necessaria mihi videtur, quam ea, quae diuersitate ingenii *cuiuslibet* hominis nititur, propterea quod prior illa constituit fundamenta *huius posterioris*, ita, ut haec sine illa cogitari, nedum suscipi possit. Opus igitur est, ut quam celerrime ad *Educationem rationi consentaneam* progrediaris, utque, relictis istis nugulis, quibus utitur EDUCATIO AESTHETICA, quaeque parum satisfaciendi disciplinae, mentis naturae accommodandae, ad seria transeas, quae congruant parti hominis praestantissimae, et quibus tractandis edocere, te non versari in formandis animalibus, rationis lumine destitutis, sed in fingendis hominibus, qui, rationis decore ornati, in summo rerum creaturarum, quae cerni possunt, fastigio eminent. Praeterea non est, quod mihi subiraescere. Ego, ut breuissime, quae monui, ob maiorem perspicuitatem, repetam, non omnem valorem denego



nego EDVCATIONI, quae abs te dicitur, AESTHETICAE, sed illius vsum ad primos tantum tenerimae pueritiae annos referendum, illamque ipsam breui cum Educatione, rationi conuenientiori, permittendam, iudico. Nihil nunc restat, quam, vt detrimenta recenseam, quae, nisi a praedicata opinione recesseris, ipsa tua EDVCATIO AESTHETICA, mirum quantum iactata, rei scholasticae, iuuentuti, bonis literis atque artibus imbuendae, immo ipsi Religioni affert.

Iam omnium primo videamus incommoda, quae rei scholasticae comparantur ab EDVCATIONE AESTHETICA. Duo sunt, quorum prius quo minus iam in proxime antecedentibus attingerem, conuincendoque proderem, impedire non potui. Nimis diu si continuatur et retinetur EDVCATIO haec, inter hominis atque pecudis educationem nihil interest. Locus, qui legitur apud CICERONEM lib. I. de Offic. tam insignis est, vt multum lucis causae praesenti inferre mihi videatur, sic se habet: *pertinet ad omnem officii quaestionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis antecedit. Illae enim nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu, hominis autem mens discendo alitur, et cogitando, semper aliquid aut inquirit, aut agit, videndique et audiendae delectatione ducitur.* His luculenter apparet, quanta, quamque assidua atque indefessa industria in eo sit collocanda, vt hominis educandi ratio, iam inde a pueritia, differat ab educatione animalium, quae sunt mentis facultate priuata. Ipsi humanitatis pretio non solum multum, sed omne potius, detrahitur, puer atque iuuenis in bestiam, aut pecus mutatur, si in illo fingendo eadem disciplina vteris, quam omnes ii obseruant, vsu probatissimam, qui artificium tenent, quo animalia, solos sensus sequentia, artibus quibusdam aptiora formentur. Quis enim est, qui tam egregie ignarus sit, quin sciat, multos inueniri homines, qui ex tanta modorum videlicet comparandi diuersitate illum sibi eligant, quo animantia, rationis defectu multo inferiora, imitando assequendis artibus aut actionibus humanis adiuuefaciant, quique cum illis, eiusmodi rebus adiuuefactis, per singula atque varia oppida profiscantur, vt, vtilioris scientiae atque cognitionis imperiti, obolos colligant et corradant, quibus vitam sustentent? Quis est, quem fugiat, canes venaticos, non illos,

illos, qui *Cybiratici*, siue *Verrini* sint dicti, quique ita odorabantur omnia, et peruesigabant, ut, quicquid esset, aliqua ratione inuenirent, (homines enim fuere,) sed in vniuersum omnes, a peritissimo quoque venatore varia posse edoceri, ut ad cursum *celeriores*, ad inuestigandum *sagaciores*, ad indagandum *audaciores*, verbo, ad omnem venationem *magis idonei*, et ad varias hominum oblectationes *multo exercitiores* reddantur? quae vero artificia adhibent omnes huiusmodi homines, quosque impulsus in subsidium vocant, ut in consuetudinem artium quarundam omnia haec animalia deducant? num illis instillare cupiunt *notiones*? num recte *iudicandi* peritia illa imbuere gestiunt? num *ratiocinandi* intelligentiam illis familiarem reddere conantur? certiti sane ingenii essent, ea si suscipere vellent, *sensuum ope*, eaque sola, nituntur, et, praeter blanditias, aut comminationes, quae ipsae tamen imaginationis virtute adiuvantur, nihil est, quod ad illa formanda conferant, nisi, quod *sensibus*, eorumque aut voluptate, aut dolore, percipi possit. Eadem igitur sit mihi pueri atque iuuenis, mentis humanae praestantia a summa Dei benignitate exornati, disciplina? eadem sit mihi instituenti ratio, qua immortalis eius animus contineatur? heus, num *corporis* eius, multo vilioris, si cum animo excellentiori comparatur, partis, cultura eadem est, quae in pecudum atque bestiarum corpora cadit? num iisdem pabulis immundis atque fastidiosis nutritur? ipsius vero *animus*, cuius praeclarissima facultas cernitur in legitimo mentis usu, quique hominem ad diuinae naturae similitudinem euehit, eodem modo, qui animalibus stupidis conuenit, fingendus tibi videtur? quid igitur sibi volunt, in puerorum atque iuuenum animis, ad literarum cultum excitandis, *chartularum, arcularum, atque machinularum* tuarum? num illis alia quaedam, eaque oculorum obtutum effugiens, vis inest, quam, quae omnibus illis artificijs conceditur, quorum adiumento animalium humiliorum institutio perficitur? eo certe humanitatis nunquam progressuros putassem ingeniosos nostrae aetatis scholarum emendatores, ut pueros atque iuuenes nostros (dicam, quod res est, quamuis *AESTHETICE* rideant,) in simiolas, caniculas, aut vrsorum catulos permutant, ipsasque scholas nostras stabulis similes reddant, quorum classibus, siue potius cancellis, hae bestiolae cohibeantur! quae, quantaque exinde oritur *rei scholasticae* dignitas! quodsi pristinis, *iisque multo radioribus et infelicioribus*, temporibus scholae publicae illarum officinarum ignominia atque

que opprobrio afficiebantur, in quibus pueri atque iuvenes ipsi humanitati maxime consentanea ratione, tanquam homines, fingerentur, non sensuum, quos omnibus cum animatis communes habent, sed rationis auxilio, quâ inter reliquas res creatas, quae ab adpectu non sunt remotae, eminent, quis est, quin gaudeat, quod nostra aetate, eaque elegantissima atque felicissima, ludi nostri euadunt iustria, eorumque magistris imponitur officium hominum conspicuorum, qui simiarum, uulorumque duces, aut canicularum moderatores appellentur? Nihil enim est, quod mouent boni nostri scholarum auctores, se auxilio rerum, sensibus exterius propositarum, ipsi rationi succurrere constituisse, seque, hanc uiam ingressos; non detrudere homines, illorum dignitate minuta et infraacta, ad ordinem bestiarum. In antecedentibus iam liberalissime illis dedi, ab EDUCATIONE AESTHETICA, ope sensuum, rationis, praecipuae dotis hominum, culturam posse inchoari, sed hoc est, in quo cardo huius caussae uertitur, ut inquiratur: *necessarium sit, ut modus, quo rationi opem ferre uelint, ipsi rationi sit consentaneus, nec ne?* posterius qui contendit, is cum pueris atque iuuenibus tam iniue agit, ut illos animalium, a mente remotorum, simillimos ducat, ipsique scholarum auctoritati labefactandae studeat. Quod ipsi non dissimulant huius disciplinae antesignani, quando AESTHETICAM per analogon rationis describunt. Constat enim, homini ipsam rationem, animantibus analogon rationis tribui. Relinquitur igitur, ut hominem ex homine tollant, qui iusto diutius sensus titillant. Alterum damnum, quod rei scholasticae importat EDUCATIO AESTHETICA, nimis diu obseruata, quodque nunc tractabimus, uersatur in eo: *attentio ad res grauiiores restringitur.* Non omnia, quae ad disciplinam scholasticam referuntur, eiusdem sunt conditionis, alia facillimo negotio explicari et intelligi possunt, alia, aut per se, aut pro ingenii puerilis atque iuuenilis infirmitate, magistrum a bonis literis instructum, a docendi facultate praestantem, et a laboris assiduitate patientem requirunt. Illa tam grata et accepta habent pueri atque iuvenes, ut non solum animi elatioris laeticiam uultus hilaritate expriment, sed etiam promississimi paratissimique, ad illa audienda, et de illis elaborandum, reperiuntur, haec, quia cuiusque fere rei dignitatem atque utilitatem, non tam praestantia sua, quam uana, eaque deceptrici specie metiri solent, plerumque siue pro animi leuitate atque impatientia, siue dissidentia quadam uirium, atque naturali ipsis seueritatis auersatione,

summo studio fugiunt atque differunt. Itaque ad haec, vix dici potest, quot, quamque grauibus cohortationibus animi illorum sint excitandi, quanta magistri alacritate opus sit, ne in alienas res cogitando incidant, quanta perspicuitate disciplina indigeat, ne difficultates rei docendae obsecuritate praeceptoris augeantur, et omnes, qui in erudiendis polendisque ingeniis in palaestra versantur, mihi fidem habent, si dixerō, omnium in schola docentis officiorum hoc esse longe grauissimum, vt animi discipulorum, rei tradendae, *eique grauiori*, intenti contineantur. Imaginando enim vix assequi potes, quanta astutia, quantaque simulationis atque dissimulationis constantia animum relaxare, et a doctrina, *eaque difficiliori*, intelligenda auocare possint pueri atque iuuenes, vel pendere videntur ex ore nostro, et nihilo minus in longe alias res, saepe haud viles, immo perniciosissimas, mente excurrere solent. Quantopere vero cumulantur magistro impedimenta *attentionis*, ad *res grauiiores* inflammandae, laudata ista EDUCATIONE AESTHETICA! quam studiose deletur et extinguitur penitus hac institutione *attentionis* illa scintillula, quae in alumnorum animis, ad sublimiora addiscenda, vix percipi potest! in sensuum consuetudinem hac EDUCATIONE sunt deducti, illorumque remedio omnia quasi per iocum lusumque illis insillata sunt, vt ne minimas quidem molestias sentirent, sed solis oculis atque auribus adiuti, omnia cum voluptate, atque intima oblectatione memoriae mandarent, haec vero doctrinae, quae *grauiiores*, maiorisque subtilitatis atque sublimitatis sunt, ad sensus solos reuocari nequeunt, sed tam reconditae sunt indolis, vt sola mente, eiusque acumine, inquiri et indagari possint, quid inde? *attentioni* non aduefacti, illas supine negligunt; animoque irato abiiciunt. Sexcenties illis demonstras, ea, quae dixeris, aut dicturus sis, esse per se magna, repetas semel atque iterum, ea ad veram felicitatem necessario pertinere, studeas vel tantae perspicuitati, quanta vnquam in hominis potestate sit posita, insistas atque inhaereas tantum temporis eidem doctrinae, quantum velis, verbo, vel omnia subsidia in medium proferas, quibus animus ad *attentionem* incendi potest, euentus nunquam respondebit optatis. Segnitie atque torpore sopitus est puer atque iuuenis, mens eius, adiuuante EDUCATIONE AESTHETICA, hebes atque obtusa facta est, nil percipit, nisi quod corporis oculis cerni, aut manibus palpari potest, densissima nebula obuolutus, et caliginosissimis tenebris circumdatus, coecutire, quam iudicii vires intenderē maualt, —

ipse,

*ipse, quantum quantum est, nil, nisi stupor est!* Quam tarditatem gentium monstrant integrarum exempla, *Iudaeorum* priscorum praecipue. Hi, sensibus in *Aegypto* innutriti, nihil rerum diuinarum percipere volebant, quod non signis quibusdam vestiretur. Inde vero tam coeca fuit superstitio nata, ut infulsissimas de diis opiniones sectarentur, quibus pellendis vel copiosissima lex caerimonialis par non fuit. Quam luctuosa igitur atque miseranda sunt damna, quae infert *rei scholasticae* ista praedicata EDVCA-TIO AESTHETICA! quis est, qui illa unquam reparanda censeat?

Non minora vulnera infligit *ipsis pueris atque iuuenibus*, bonis literis et artibus imbuendis, ad quae examinanda nunc se confert oratio mea. Prius est: *sensuum impetus, fons multorum malorum, fouetur. Appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conseruanda accommodatius, ratio praestit, appetitus vero obtemperet.* Hi, et multo plures, immo fere innumeri, loci, quorum in memoriam facile redeunt illi, qui veterum scriptorum lectione assidua ingenium habent optime nutritum, saluberrimam disciplinae rationem commendant magistris, qua omnem operam omnemque industriam collocandam putent in eo, ut, quantum possint, contra *sensuum* lenocinia atque blandimenta temperstius muniant discipulos, illosque faciliores pronioresque reddant, ad obedientiam, rationis iussibus atque praeceptis praestandam. Quis enim est, qui cogitatione et mente complectatur omnes, qui in iudicando committuntur, errores, quorumque turbulentissimus fons *e solis sensibus* manat? quis est, qui ingentem viciorum criminumque cateruam recenseat, quae omnia ex *sensuum blanditiis* infelicissimam originem habent? quid igitur magis necessarium, quid maiori sollicitudine curandum, quam, quod mature auocet et retineat iuuentutem ab illorum illecebris? nihil sane est, quod eo consilio non experiatur et periclitetur fidelissimus quisque magister. Moneat audientes ipsum, ne in prima *sensuum* specie insistant, sed notam constantem et perpetuam veritatis illorum seruent, admonet illos, ut experientiam, multis erroribus probatam, audiant, res non semper ea praeditas esse natura, quam primus *sensuum* conspectus offerat, utque leges *sensuum*, quibus conformantur, quasque ipsis exposuit, in subsidium vocent, notionibus distinctis formandis in instituendo operam dat, et, ratione vitii, eiusque iucunditatis, ad *sensus* affluentis, confert voluptatem fluxam atque caducam cum perenni et constante, praecipue vero in enarranda *historia*, cui, si a *Religione sanctissima* discesseris, maxima sane vis in emendandis

dandis animis tribuenda est, quamque iure nominavit C I C E R O *magistram vitae atque morum*, omnem occasionem studiosissime arripit, qua virtutis, *rationis obsequio* consequendae, magnificentiam augeat, et felicitatem, ad quam ducit, vberissima rationis copia amplifcet, vitii verò deformitatem, fuce, quo, *ad sensus capiendos et excocandos*, illitum est, absterfo, ostendat, et perniciem, immo interitum atque ruinam, ad quam detrahit et detrudit amicos, eo sono vocis, eo vultu describat, vt non solum ipse commotus appareat, sed etiam auersatio quaedam altius in animos iuuenum descendat, et horror quidam illos percutiat. Haec puertitiae atque iuuentutis formandae ratio muneris scholastici grauitati accommodatissima est, haec disciplina *optimae mentis conscientia* magistrum consolari potest. Sed quid praestat *EDVCATIO AESTHETICA*? quid confert, quo *pueris atque iuuenibus, bonis literis atque artibus imbuendis*, prospiciatur? omnia, quaecumque sint, *sensuum suffragio* subiicit, causam interferens, sic suauitatem adspersi rebus tractandis, discendique cupiditatem ali. Nonne sic acuit *sensus*? nonne sic *impetum* atque *vim* illorum fortiozem reddit? vti nam religione impediuntur omnes, qui istam suadere cupiant! quot erroribus aditum parant ad discipulorum mentem, quibus sequenti tempore euellendis et extirpandis neque ipsi, neque alii erunt pares! quot vitiiis tradunt animos alumnorum inquinandos et contaminandos, quae, quo imbecilliores illos infecerint, eo minus, saltem difficilior, erunt sananda! fieri non potest, vt sine violenta humanitatis offensione persuasum habeam, viros, qui huius *EDVCATIONIS* auctores et praecones esse velint, et de quibus dubitem, quin iuuentuti, tam ipsorum, quam nostrae fidei commissae, interitum non solum hac in vita, sed etiam aeternum, struere constituerint, hos igitur viros memores fuisse huius exfecerandi, omnibusque diris deuouendi euentus, alioquin amor atque studium, quo in iuuentutem non minus, quam nos reliqui scholarum magistri, feruntur, ipsos impulisset, vt multo vitilior quid nobis consulendum inuenissent, ego toto animo contremisco, atque *VLYSSEM* multo sapientiozem praedico, qui lociis aures obstruxit, ne tantum *Sirenium* audirent! *E viris hislriones fiunt, ac sententiosi seuerae*. Hoc alterum detrimentum est, quod conciliatur *ipsi iuuentuti, artium literarumque studiis colendae*, quodque maxime spectat illam, in interpretandis scriptoribus, tam graecae, quam romanae antiquitatis, disciplinam, quam nobis persuasam cupiunt *EDVCATIONIS AESTHETICAE*

TICAE vsum atque fructum celebrantes. Quilibet bonus et fidelis iuuentuti scholasticae amicus, qui, quo remotior est ab aetatis praesentis nouandi et corrigendi lobidine, eo studiosior reperitur verae scholarum publicarum salutis, hanc discipulorum in legendis priscae antiquitatis monumentis exercendorum rationem, eamque solam, longe saluberrimam fructuosissimamque existimat, qua tam *verborum*, quam *rerum*, accurata cognitione continentur, quaque *illorum* elegantiam, vrbanitatem, ornatum, atque copiam, *harum* grauitatem, honestatem, acumen, atque suauitatem iudicant, et nemo fuit, quem huc vsque poeniteret, se in literarum humaniorum docendarum munere ita versatum esse. Sic, freno iniecto, compescere potuit nimiam ingeniorum iuuenilium alacritatem atque lasciuiam, sic laboriosa et assidua exercitatione retardauit nimium illorum festinandi impetum, sic limauit atque acuit illorum iudicandi facultatem, sic attulit illis omnium rerum pulchrarum gustum quendam atque intelligentiam, sic denique aduiescit audientes recte scienterque imitandis veris suauitatibus. Quid vero est, quod contra hanc seueram, vtilissimam tamen, iuuenum in scholis excitandorum culturam, proferrant recentiores, iique multo longius in humanitate prouecti? *ieiunium* nominant, *exsanguem*, atque *sterilem*, quae nimis difficiles, morosos, atque subtiles in criticis nugulis atque ineptiis fingat, pulchritudinis vero, et quasi amoenitatis sensum omnem exstinguat atque opprimat. Hinc longae alias dapes, et multo gratiora esculenta iuuenibus apponenda censent, feotent et redundant suauitatibus, permulcent et alliciunt iuuenum aures diuinis venustatum incantamentis, liquefcunt et disfluunt tenerissimo dulcedinis atque laetitiae sensu, nil, nisi Gratias, audiunt loquentes, nil, nisi campos Elysijs, vident, quorum prata riuuli irrigant, lenissime murmurantes, titillant iuuenum bonorum imaginationem inanibus verborum pigmentis, illos, a magno spiritu quodam animati et afflati, coelesti admiratione atque delectatione afficiunt, pingunt illis, *vt loquuntur*, naturam, inferunt vmbream atque lumen explicandis descriptionibus, verbo vt omnia dicam, innumeris ingenii lussibus affingunt scriptoribus tot ornamenta, delicias, atque artificia, vt hi, in vitam si reuocari possent, idem dicerent, quod *soCRATES* olim de colloquio quodam *PLATONIS* dixisse legitur: *quantum est, quod hi viri de nobis mentiuntur!* consilium, quod consequendum spectant, cernitur in eo, vt iuuenibus familiarem reddant illum subtiliorem omnisi leporis atque elegantiae sensum, quem solius aetatis nostrae

proprium putant, sed dubito, quin errem, aut inhumane iudicem, si dixero, illos potius hoc in animo habere, vt *hisiriones et sententiosos scurrar* forment. Quales enim sunt, qui ex illorum scholis prodeunt? num fortasse eiusmodi iuvenes, qui *exquisita*, pro viribus, instructi sint eruditione? num, qui calleant *interiores* linguarum regulas? num, qui salubriori *Critices* cognitione sint nutriti? heu! tantum abest, vt ipsorum discipuli euadant viles aliquando atque conspicui *viri*, vt fiant istiusmodi *homunciones*, qui, effulas facetias, immoderatam caullationem atque dicacitatem sectantes, vbique locorum, sine verborum et ordine, et modo, (quam C I C E R O in Oratore *infantiam* nominat,) in sententias erumpunt, qui, fucio quodam simulatae eruditionis illiti et obducti, semper *ingeniose* loqui *volunt*, qui, nulla verae elegantiae cognitione imbuti, risum atque cachinnum captant de omni, quod ad accuratam doctrinam pertineat, qui, naribus iucundissimo suauitatum odore repletis, omnia, quae subtilitatis speciem habeant, tanquam foetida, abiiciunt, quae in circulis, ad aetatis molliem atque delicias compositis, vix mente comprehendenda fabulosarum historiarum, ludorumque scenicorum lectione ornati, integram eamque perhonorificam *Sapientum* societatem delectant. Istiusmodi igitur *scurras*, non *Atticos*, qualis vel S O C R A T E S a Z E N O N E est habitus, sed *circumforaneos*, vt nos quoque in ludis publicis fingeremus, nos incitare voluistis? istiusmodi *parastastros* a nobis quoque deliderastis? ego quidem quouis pignore contendere ausim, quicquid a vobis pro commendanda EDUCATIONE AESTHETICA dicatur, id in nullius *probi* atque *sapientis* magistri animo tantam vim habere, vt illi probetur — apage, nos *Patriae* educabimus *bonos atque viles ciues*, non *mimos*!

Sed omnium damnorum, ex hac EDUCATIONE oriundorum, longe periculosissimum funestissimumque est, quo ipsa *Religio* afficitur. Equidem nihil magis in optatis habeo, quam, vt angustiae huius proflusionis permittant tantam orationis copiam, quanta opus est, ad commune odium, idque iustissimum, huic disciplinae, quae AESTHETICA vocatur, contrahendum, sed, terminos, huiusmodi commentationibus constitutos, iam transgressus, coactum me video, vt omni breuitate utar. *Rarum est*, inquit C I C E R O, lib. I. de Diuinat. *quoddam genus eorum, qui se a corpore auocent, et ad diuinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur.* Quod si huic Philosopho, cui sapientiae diuinae lux non affuisset, ad cognoscenda et consulenda *auguria*, de quibus ipsi sermo est, necessarium videbatur, vt augur ad *templum* atque *tabernaculum*

luz



tum afferret animum, ab *omni sensuum impetu* liberum, nullisque corporis vinculis impeditum, quo certius atque accuratius, *soliis rationis ope*, futura praesentiret, quid nos, Christianos, facere oportet? qui, vera literarum sacrarum luce collustrati, probe intelleximus, non solum in *Deo*, sed etiam in *Religione*, ab ipso fundata, per multa reperiri, quae et *rationem*, et *sensum*, longissime excedant, quaeque huius indolis sint, ut illis, diuina reuelatione innixis, quamuis modum causasque ignoremus, fidem habere debeamus indubitata, quid? quod, *Deum* ipsum, quo excellentior sit, quam ut *sensuum atque rationis* adminiculo comprehendi possit, eo sanctiori cultu prosequendum, eiusque *Religionem*, quo plura contineat, *rationis sensuumque* acumen atque vires superantia praecepta, eo certiora diuinae originis documenta exhibere, iam dudum agnouerunt omnes, qui pestiferorum librorum, contra *Religionem* effusorum, quibus aetas nostra feracissima est, veneno animum nondum infectum, eorumque contagione tactum, habeant. Quid igitur emolumentum afferret huic *Religionis* sanctissimae *EDUCATIO AESTHETICA*? quam reuerentiam in tam benignam verae felicitatis nostrae praeceptricem iuuentuti iniungit et inculcat? ad *sensum*, quorum ductui atque perceptioni iuuenes adhaerescit, reuocari nequeunt *Religionis* doctrinae, tota natura nihil habet, quod *sufficiat* illis collustrandis, immo illis, *sensuum* perceptionibus si aures dociles praebentur, innumeri perniciosissimi que errores crassa ignorantia inferuntur. Vnde, quaeso, crassus *Anthropomorphismus*, qui non vulgus modo occupauit, sed etiam homines doctos? humana transtulerunt ad Deum, cum diuina ad homines transtulisse melius fuisset, nimium sensibus dediti. Quid igitur? aut cognitioni exquisitae praecurrit in animis iuuenilibus assensus, et coeca quaedam approbatio, aut, quod omnium veri simillimum est, *ad contentum rerum diuinarum adducuntur iuuenes*. Heu! quanta damna! quis est, qui ea satis deplorat atque lugeat? In *Religionis* institutione vniuscuiusque magistrum cura non his finibus est includenda, ut leuis tantum, vaga, et incerta cognitio teneris animis instilletur, sed eo dirigenda est, ut, quantum iuuenum retacula huius rei capax sit, praecepta sanctissimae doctrinae, mentis subsidio percepta, alte in pectus descendant, studiumque officiorum, homine christiano dignorum, accendant, quid vero infausti *ex hac contentione rerum coelestium*, qua iuuenes imbuuntur, succedente tempore oritur? candidè dicam: *studium in omnes religiones aequè propensum, irrisio literarum sacra-*

*sacrarum, et refrigeratus cultus diuini amor.* Quae omnia ad extremam perniciem, æternamque miseriam ducere atque detrudere, nisi credere liceat, ab vnoquoque, sine indignatione, referri me in eos patiar, qui, *credulitatis vitio*, infimæ plebeculæ haberi mereantur simillimi.

His nomen dispungere mihi videor, sub finem nuperrimæ prolusionis contractum, restat, vt præsentis commentationis indicetur consilium. Amantissima *Sacrorum Christianorum* præstantia, fumis sane et saluberrimis prouidæ Dei curæ beneficiis annumerandorum, et *Lutheri* insignia et præclara de illis merita, *tres* iuuenum nostrorum, *omnibus bonis commendandos*, incitarunt, vt diei, inflaurationis horum Sacrorum memoriæ gratæ consecrati, celebritatem, orationibus iuuenilibus, licet non auferent, agnitam tamen testarentur. Sunt vero sequentes :

- I. CHRISTIANVS GOTTLIEB RIEHMERS, Blumenbergen-  
sis. Misnicus, qui de necessariis Sacrorum inflauratoris virtutibus,  
in *Luthero* conspicuis, disseret *Oratione Latina*.
- II. CAROLVS GOTTLIEB FLECKEISENIVS, Laafa-Misnicus,  
qui calamitatem iuuenis, *ex ignorantia atque contemtionem religio-  
nis emanantem*, deplorabit *Oratione Germana*.
- III. SAMVEL GVILIELMVS MERKERVS, Zahna-Saxo, qui felicitatem iuuenis, *ex agnitione atque cultu religionis proficiscen-  
tem*, commendabit *Oratione Germana*.

Ad quos audiendos vt ANTISTES SACRORVM SVMMÆ RE-  
VERENDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, SACERDOTES PLV-  
RIMVM REVERENDI, PRAECEPTORES CLARISSIMI ET DO-  
CTISSIMI, et omnes literarum Lyceique nostri FAVTORES atque  
AMICI HONORATISSIMI, pridie Kalendarum Nouembrium, fini-  
tis sacris post meridiem, frequentes in auditorio superiori conueniant,  
obseruantissime et humanissime oro rogoque. Scrib. Torgauiae, Ka-  
lendis Oetobribus, A. I. S. MDCCLXXIX.

AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3  
003 085 112




TA → SL  
Nov 75 fkt 1

R

VD 17





EDV

AD  
DIE IN

CAR C

A

65  
THETICA

TIONES  
IONIS MEMO-

S  
TAT

NTENIS  
ECTOR.

J A.

